



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Svmma, Sive Avrea Armilla Bartholomæi Fvmi Placentini,
ordinis Prædicatorum, ac hæreticæ prauitatis Inquisitoris**

Fumo, Bartolomeo

Antverpiae, 1570

Astvtia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-30427

gi, dummodo sit secunda sententia declaratoria, per quam declaratum sit, fuisse commissum id, propter quod veniebat imponenda talis pœna, alias illa effectum non fortiretur, & executionem. Et hoc etiam tenet Innoc. in l. si quis maior. Cap. de transact. etiam quod tale sit ita notorium, quod non possit aliqua tergiversatione celari, adhuc talis sententia declarativa requiritur, quamuis Pan. in c. cum non ab homine. de iudi. tenuerit contrarium. Voluit etiam Pan. in ca. cum canonu. de consti. quod quando bona alicuius sunt ipso iure confiscata, quod talis cum bona conscientia non possit illa retinere, quia statim sunt fisco acquisita, & hoc etiam reprehenditur, infra, hæreticus. §. 1. Si tamen textus diceret, ipso iure sit priuatus, & quod non requiratur alia sententia declarativa, sicut fecit Paulus 2. in extrauag. ambiciosè, secus esset. Et quando dicitur quod pœna iuris requirit sententiam declaratoriam, intelligitur de pœna, quæ actû hominis quantum ad executionem requirit, vt priuatio bonorû, non de pœna, quæ hoc non requirit, vt excommunicatio. Ad hoc quod quis inuoluatur prædicta sententia excommunicationis, oportet quod actu interficiatur per assassinos aliquem Christianum, vel mandet hoc fieri, vel patienter receperit, vel defendat, vel occultet.

ASTROLOGIA.

ASTROLOGIA vna est de septē artibus liberalibus, & est vere scientia, neque de se mala, aut prohibita, secundum Panorm. in c. ex timore. de sorti. Vnde & iura præmiant has scientias exercentes. lib. 1. ff. de var. & extrao. cogni. Peccant tamen quandoque homines circa eam. Et primò, si ea quæ sunt fidei Christianæ, habeantur tanquam causis cælestibus subiecta. Secundò, si de futuris contingentibus certum fiat iudicium. Tertio, si actus humani necessariò cælestibus causis subiecti esse credantur. hoc enim esset tollere liberum arbitrium. Et quodlibet horum trium, ex suo ge-

nere mortale peccatum est. secundum Caiet. ibi, quia hæc tollunt fidem, liberum arbitrium, & gratiam diuinam, legemque, & totam Christianorum vitam.

Si quis dicat corpora cælestia, & constellationes inclinare homines quandoque ad vitia, quandoque ad virtutes, non errat, dummodò non credat homines cogi, quia voluntas, quæ est principium humanarum operationû, non subijcitur cælo, vt S. Tho. in pluribus locis dicit.

IUDICARE etiam de infirmitatibus, sanitatibus, pluuijs, & alijs quæ ex cælesti influentia procedere possunt, bonis Astrologis permittitur, quâuis sæpe errent, quia verâ astrologiam non habent. His etiam Caiet. in summa ibi cõsentit, & Th. 1. q. 11 §. 2. 4. ad 3. Angelica, quæ dicit, Astrologiam potius mittere homines in errorem, intelligit de diuinatoria, & ea, quæ arte demonum habetur, de qua omnia iura per eum allegata debent intelligi, & non de ea, quæ verè est scientia.

ASTVTIA.

ASTVTIA est per simulatas, & adolosas, & fraudulentas vias ad finem aliquem progressus. Ex S. Tho. secunda secundæ. q. 55. a. 3. ideo manifestè est peccatum, prudentiæ oppositum, & secundum subiectam materiam inuenitur mortale, & veniale. Si enim nocet notabiliter proximo, inter mortalia computatur. sicut mædaciû perniciosum: si autem non nocet multû, vel nihil, vel officit, venialis erit, secundum Caiet. ibi, in summa. Est & quædam astutia bona, quæ ad bonum finem ordinatur, de qua 1. Cor. 12. cû essem astutus, dolo vos cepi.

AVARITIA.

AVARITIA secundû quod importat voluntatem accipiendi vel retinendi alienum, est peccatû mortale, nisi ex imperfectione actus, & hoc modo opponitur iustitiæ. Secundum autem quod nominat inordinatum appetitum pecuniæ, contrariatur liberalitati, & communiter est peccatum